

### Remuneracio A

Manet spectator desuper cunctorum prescius Deus, bonis premia malis supplicia dispensans, nec frustra sunt in Deo posite spes precesque, que cum recte sint inefficaces esse non possunt. Adversamini igitur vicia virtutes colite, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelso porrigite, magna vobis est si dissimulare non vultis necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

Boecius de consolacione libro 5.

### Remuneracio B

Nutriunt premiorum exempla virtutes nec quisquam est qui non ad morum summa nitatur ascendere quando irremuneratum non relinquitur quod consciencia teste laudatur.

Cassiodorus libro 2. epistolarum.

### Remuneracio C

Grave nimis est ut fructu laboris sui fraudetur industrius, et cui debet pro sedulitate conferri premium, dispendium paciatur iniustum, et malorum omnium probatur extremum, ut inde quis cogatur detrimenta suscipere, unde credebat auxilia provenire molestiam pati sine causa, penam sine culpa, damna sine delictis.

Cassiodorus ibidem.

### Remuneracio D

Tribuenda est iustis laboribus compensacio meritorum quia exprobrata milicia creditur si irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem, sudores bellicos cincta corona testatur, expectant equos eciam premia sua et tanta iusticie ius est, ut nec illis tardius detur laboris precium, qui sentire non poterant denegatum. Quod si ita est, dignum est hec huiusmodi reddere, qui per honesta cognoscitur obsequia placuisse.

Cassiodorus ibidem.

### Remuneracio E

Equum est enim ut unicuique proficiat labor suus et sicut expendendo cognoscit incommoda ita rebus perfectis consequatur augmenta.

Cassiodorus libro 3. epistolarum.

## Remuneracio F

Gloriosum quippe est honores passim impendere sed laudabilius bene meritis digna prestare, quicquid enim talibus tribuitur pro generali potius utilitate largitur.

Cassiodorus libro 4. epistolarum.

## Remuneracio G

In lucrum cedunt que bene meritis conferuntur et de ipso munere magis acquiritur cum optimis digna prestantur.

Cassiodorus ibidem.